

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

X.

Guilielmus Junior, Dux Juliacensis, Clivensis &
Montensis Comes, &c. Erasmo Roterodamo, Theologo,
S. D.

Dici non queat, Eruditissime Erasme, quam nos delectarit recens illa factura tua, nobis dicata, non ob id solum, quod immortalem nobis apud posteros gloriam relinquet, verum etiam quod ad Remp. juvandam hæc res vel imprimis pertinere videretur, cui nos etiam si impares destinati sumus olim administranda. Quis enim non gloriatur ab illo celebrari, ejusque amicitia frui, è cujus scriptis non nos modo sed orbis totus utilitatem reportet? Dionysius dicebat, eruditos se conciliare, ut admirationi per illos mundo fieret, nos annitatur, ut eruditi, quorum consuetudine libenter utimur, nos Sparta nobis destinata idoneum reddant administratorem. Atque huc etiam pertinere putemus à veteribus traditum, Philosophis ipsis aut administrandam Remp. aut eos, qui administrant, Philosophis uti debere à consiliis. Mitto tibi poculum cum inscriptione *ἀγαθὸν δαίμωνος*, quod *μακροχρόνιος* solum & pignus esse volui tantisper auspicate feliciter amicitia, dum liberaliori detur gratia labores tuos compensare. Cætera si qua sunt ex Heresbachio nostro cognosces. Bene valeto, vir nobis charissime & vigiliis tuis rem literariam publicaue commoda maeste virtute promovere pergito. Ex arce nostra Buderich, III. Id. Novembr. Ao. XXIX.

Nostrapte manu,

XI.

Margaretha Ropera Eruditiss. Theologo, D. Erasmo
Roterodamo. S. P. D.

Quam illud boni plerunque accidere soleat gratissimum, quo subito quis atque insperato fruatur, id ego nuper, vir omnium eruditissime, verissimum experta sum, quum literas tuas non minus elegantes quam amantes, certosque studiosi animi tui erga patrem, omnemque ejus familiam, testes, Quirinus tuus mihi traderet, quæ quanto magis venerunt insperata, tanto merito majorem menti meæ voluptatem intulere. Neque enim aut sperare aut expectare poteram, ut tam multis necessariis studiis assidue occupatissimus, morbis etiam acerbis miserè perpetuo agitarus, semperque molestia confectus mihi unquam scripu-

prurus esset, in qua nunquam futurum est mereri, ut eo honore dignareris, ad quem literarum tuarum beneficio evecta sum. Quas quoties alicui ostentavero, non mediocrem infamæ meæ laudem accessuram intelligo, quæ nulla alia magis via illustrari potuit, quam per literas tuas, quid enim cum illo honore comparandum, quod digna habita sum, quam totius Orbis decus suis literis dignatus sit? Quare ut mihi rem longe supra meritum meum benignitas tua contulerit, ita me sane pro tam eximio munere dignis agendis gratiis nimis imparem jure confiteor. Quod pictoris tibi adventus tantæ voluptati fuit, illo nomine, quod utriusque mei parentis nostrumque omnium effigiem depictam detulerit, ingentibus cum gratiis libenter agnoscimus, nihil ardentius expetentes, quam ut Præceptorem nostrum, cujus eruditis laboribus, quicquid bonarum literarum imbibierimus, acceptum habemus, fidelemque patris veteremque amicum coram aliquando colloqui ac contemplari nobis liceat. Vale. Salutat te ex animo D. mater, item totus tuus maritus meus ac frater, ambæ sorores meæ plurimam tibi salutem mittunt. III. die Novembris.



XII.

Erasmo Roterodamo, doctissimo, Urbanus Regius,
Theologo Theologus. S. D.

Tuum ad nos reditum, Erasme Doctissime, Germaniæ imò Christianis omnibus gratulor, haud secus enim te expectavimus ac solem quandam, qui tenebras nostræ noctis sit discussurus. Tenebras inquam internas, eoque periculosissimas. Nam te renascentis Theologiæ autorem primum, nostris temporibus qui non fatetur, & mendax est & ingratus. Primus tu à turbidissimis scholasticorum lacunis ad fontem sacrarum literarum revocasti Theologos, idque eâ modestia, ut admonitione tam salubri tamque necessaria ne inimici quidem sint offensi, præter nescio quas noctuas abominabiles ac miserabiles potius quam odio habendas. Primo omnium ad Theologos veteres hortabaris, à quibus dein ceu rivulis ad Canonicas scripturas fontem limpidissimum nos perduxisti, denique effecisti tantum vigiliis tuis doctissimis, ut nullum penè studiorum genus jam feliciori pede procedat quam sacrosancta Theologia. Res sane admirabilem videmus, & literas humaniores & sacras sic connecti, ut simul citra tumultum condiscantur, quæ antè indoctorum machinationibus erant plusquam hostes, tuis hoc omne lucubrationibus acceptum ferimus, qui omnem movisti lapidem, ut pro inani philosophia in scholis theologorum cœlestis philosophia crucis tandem nosceretur. Gaude & triumphæ, Erasme, cogno-

gno-